



**S. Caecilii Cypriani Carthaginiensis Episcopi, Totivs
Africae Primatis Et Gloriosissimi Martyris Opera**

Cyprianus, Thascius Caecilius <Heiliger>

Coloniae Agrippinae, 1617

LXXVI. Cypriani ad Magnum de baptizandis Nouatianis & de ijs qui in lecto
gratiam consequuntur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-80176](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-80176)

leant aut Praetores aut proconsules. Sereniani vero alicubi fortassis in Martyrologis mentionem reperire fit.

44. sed localis fuit. Nova phrasia. Historiam autem narrat similiter Severus Sulpitius historia sacra lib. 2. qui tantum quorundam ecclesiarum derelictos a Maximino vexatos scribit, atque adeo inter persequutiones 7. illam Maximini numerandam non putat. Durauit ea annis tribus dimittat, Eusebio teste lib. 6. ca. 20. qui tamen sectam illam persequutionem, ut diximus, facit. Et similiter Orosius li. 7. ca. 19.

45. Prophetem se praefert. Sic Ms. pro eo quod Mor. habet: Prophetam se praefert.

46. non quod demoni tanta potestas. Recte hic Firmilianus aperit, qui fraude hominibus illudat demon, ut patens eum terram concutere possit.

47. elementum concutere iussu valeret. Ita recte Angl. cod. pro eo quod Mor. & Dum. ad Marginem: nisi, aut alij minus recte: visu, Error natus ex omnia unica latina.

48. aut laedi illa discursio. Sic Ms. nostri, rectius quam aut Morel. aut Cauchij cod. illa, siue: illa discursio. Nono tamen dicitur discursio pro discursu.

49. de presbyteris Rusticum. Rustici proprium nomen est, quare maiori littera R. scribendum.

50. Atqui illa mulier. Ego proposita ita legendum censio, ut sensus constet magis. Et aut legendum: multa ad deceptionem fidelium moliebatur, quomodo Ms. ceteri, praeterea quod legunt: multas aut, multas, ad deceptionem fidelium mouebatur, quomodo Dum. Ms. cod. & Morel. Prius autem placet magis.

51. sanctificare se panem. Vera hac lectio est March. Afflig. & Cauch. cod. pro eo quod ceteri: pacem, quod tamen castigatum postea fuit in cod. Dum. Atque recte panem hic vocat Eucharistiam ab illa factam, neque enim aliud quam panis erat. Verum vero Eucharistiam, iussu corpus & sanguinem Domini vocat.

52. sine sacramento solite praedicationis. Non male conicit Cauchius legendum: praedicationis. sed quoniam priori modo legunt Ms. omnes, nolui mutare, praeterea quoniam intelligi possit hic locus de praedicatione verbi Dei, fieri olim solita in sacrificio Missae solemnium.

53. visitata & legitima verba interrogationis. De verbis his interrogationis in baptismo fieri solita, vide Epistolam ad Iuanarium de baptizandis heret. Sine autem legas: videretur, sicut cod. Angl. siue videretur, ut ceteri, perinde est.

54. quo nequissimus demon per mulierem baptizauit. Hoc ex Ms. restituiamus, pro eo quod erat: quomodo, pessima. Questionem autem, an Demoniacus vere baptizet, nusquam apud veteres tractatam reperi, neque tamen continuo sequitur, si ab illo collatus baptismus verus non sit, ut simile de haereticorum baptismo, aut contrario ut quisquis haereticorum baptismum admittit, etiam demoniaci seu demonia baptismum approbare debeat.

55. Nam si non mentitur Apostolus &c. De hoc loco Apostoli, latius epistola praeced.

56. nisi si a Christo spiritum induit. Placet quidem maxime coniectura Cauchij, qui legendum putat: spiritum non induit, sed immutare suum verum, eo quod priori modo constanter legunt Ms. cod.

57. Sin autem spirituale est. Ita recte Cauchij cod. pro eo quod ceteri: si.

58. Respondi vos vni viro virginem castam. Recte Ms. omiserunt particulam: sanctam, quam non reperiunt apud Apostolum.

59. Veni sponsa de Libano, aduenies & pertransibis a principio fidei. Lectus est Cant. 4. Intra lex. ita & d. Hiero. citatus li. 1. contra Iovinianum, qui expresserunt significationem vocis Amara, quam hodie legitimus in translatione vulgata, quae fides significat.

60. Nisi si secundum quod Stephanus videtur. Particula: si desiderabatur.

61. Sed nec illud praeter eundem a nobis. Tractatum hunc horum duorum locorum, nempe vnius Cantico. 4. & alterius i. Petri, repetit Firmilianus ex epistola praecedenti.

62. quemadmodum & Apostolus Petrus. Adiciamus: Apostolus ex cod. Afflig. Bland. March & Dum. in ceteris desiderabatur.

63. Qualis vero sit error &c. Ipsi deus ex epistola ad Iuanianum ubi de hoc loci latius.

64. remittentur eis. Quomodo sic legant Ms. omnes cum Morel. confirmatur hinc lectio Manu. supra dicta.

65. super quem fundamenta ecclesiae collocata sunt. Idipsum de Petro adstruit quam sapissime Cyp. de quo latius epist. 10. Quamquam itaque satis acerbe hic contra Stephanum agat, Pontificiam tamen dignitatem confirmat magis quam oppugnat, & si quid durius in personam Stephani dictum reperitur, quomodo postea cum ipso concordiam interit, uti ex argumento patet: renouasse id vixit consensu est.

66. multas alias petras inducat. Hic quoque ex Ms. cod. restituiamus pro eo quod erat corruptiss. indicat.

67. Iudaeos tamen quamvis ignorantia caecos. Coniectura mea hanc, pro eo quod erat: ignorantiam, confirmatam reperi cod. Angl.

68. haereticos zelo excitatur. Haec verba negligentiam operum omnia apud Mor. adiecit ex Ms.

69. sordes veteris hominis ablueret &c. Egregia baptismi effectorum enumeratio, cui simile habet epistola 2. ubi de illis latius.

70. consentire eis. Hoc quoque ex Ms. pro eo quod legatur: ei corrupte.

71. Sed in multum (inquit) proficet. Verba sunt Stephani, de quibus in epist. duabus praecedentibus Cyprianus.

72. Quod autem pertinet ad consuetudinem refutandam. De consuetudine hac, plura etiam antea diximus.

73. In vetustate permanserit. Sic Ms. pro eo quod erat: remanserit. ut

73. Quod quidem aduersus Stephanum vos dicere Atti, &c. Hinc patet, verum esse quod alicubi dicitur. At. Afros non cepisse baptizare hereticos, nisi sub Agrippino. Apud Gracos iam ante a quidem rescriptam illam consuetudinem Romanorum consuetudini opponit Firmilianus sed fides penes auctorem sit. Ego certe Stephano, cui postea consenserunt omnes, magis credendum existimo, quam ipsi: ab initio nempe traditam fuisse in ecclesia contrariam consuetudinem.

74. Plane quoniam quidem. Occasionem adfert conuocati consilij Iconij, cuius supra meminimus. Neque vero mirum, ab illis reprobatum baptismum Phrygiarum, qui postea etiam a Synodo Nicena non sit pro rato agnitus.

75. qui etiam novos prophetas recipiunt. Quomodo Mor & Ms. nostri legerent non vos, ego restituiendum hoc pacto, hinc locum putauit, eo quod ante a nouarum prophetarum meminimus. Neque ita me mea seculi opinio, ut confirmatam reperi in Angl. cod.

76. eodem tamen patrem & filium nosse nobiscum videntur. Angl. quidem cod. addit: & spiritum S. Vtrum quomodo haereticis dicti. XATA

77. non eundem spiritum S. cum Catholicis agnouerint, rapere quis non illum, sed Montanum esse paracletum a Christo promissum dicerent, magis placet, ut iuxta alios Ms. cod. id omittatur.

78. Sive per occasionem, siue per veritatem Christus adnuncietur. Hinc confirmatur nostra huius scriptura lectio, epistola ad Iuanianum, unde sequentia etiam de sumpta sunt.

79. non modo dicunt emolumentum. Huic loco ex Ms. mederi non licuit, susceptor esse mutilum, Angl. quidem cod. legis: consecuti sunt, omnia negatione, sed neque sic constat sensus, immo videtur negatio praetermitti non posse.

80. clericis ordinationis. Etiam hoc ad Phrasin Cypriani pertinet: sicut paulo post etiam: abstinere, pro excommunicari.

81. Et non pudet, &c. qui in omnibus peccatis sunt constituti. Ita recte Cauch. cod. quam ceteri, sunt, scripturam eandem citatam habet initio epistola ad Iuanianum. sed quo loco scripta sit, non reperi. Nihil autem vehementer, hinc ad finem usque.

82. de voragine & ceno illorum bibis. Sic Angl. cod. rectius quam alij: imbibis, scripturam enim quam proposuit explicat.

83. Vide qua impetria reprehendere audeas. Omnisque particulam: ut, quae sensum obscurabat, neque enim eam habent Ms. cod.

84. cum omni humilitate sentis. Recte sic verit huius epistole interpretetur, quod Grace est ταπεινωσέσθων, Nec dissimiliter Amb. in comment. humilitate animi.

85. modo vobiscum qui in meridie estis. Hoc quoque, ex Ms. pro eo erat pessime: nobiscum. Loquitur enim de Cypriano & Afris Episcopis, qui in meridie sunt. Est autem ironia pulcherrima.

86. & alienum se per omnia. Adiciamus: ite, ex cod. Angl. in ceteris desiderabatur.

87. de quo maxima questio est. Interferebat apud alios particulam: tum, sed omnia est recte ad cod. Angl. sensum enim obscurabat.

88. manifestum est nec baptismum nobis & haereticis. Recte sic Ms. pro eo quod erat: nec haereticis, non recte.

89. insuper & Cyprianum pseudo-christum, &c. Hinc patet, vehementiam epistola Stephani in causa fuisse, cur tam vehementer etiam contra eum scriberent Cyprianus & Firmilianus.

90. Qui omnia in se esse conficiunt. Ita recte Angl. cod. quam ceteri: Quae.

91. quae ipse ex merito audire deberet. Sic Ms. nostri, pro eo quod mendose legabatur apud Morel. audire deberet, Angl. autem cod. longe aliter: quae et non immerito obici deberent, viximus eligas licet.

AD MAGNUM DE BAPTIZANDIS NOUATIANIS, & DE IIS QUI IN LECTO GRATIAM CONSEQUUNTUR.

EPISTOLA LXXXVII.

ARG. Prior epistola pars eiusdem est argumenti cum praecedentibus, praeterea quod hic inculcat de Nouatianis quod in genere prius de omnibus haereticis dixerat, obiter etiam insinuat Successionem legitimam in cathedra Petri, non tam esse, qua cognosci possit ecclesia. Secunda parte (quam hactenus perperam pro alia epistola editam titulus satis indicat) aequae verum baptismum esse docet, qui per asperersionem in lecto sit, atque qui per immersionem fit in Ecclesia.

CYPRIANVS IMAGNO FILIO salutem.

Pro tua religiosa diligentia consulisti mediocritatem nostram, fili charissime, an inter ceteros haereticos, eos quoque, qui a Nouatiano veniant, post prophanum eius lauerum baptizari & sanctificationem ecclesia catholica legitima, & vero, & vnicuique ecclesiae baptismum oporteat. De quare quantum fidei nostrae capacitatis, & scripturarum diuinarum sanctitas ac veritas suggerit, adiciamus omnes omnino haereticos & schismaticos nihil habere potestatis ac iuris. Propter quod Nouatianus nec debet, nec potest excipi, quo minus ipse quoque extra Ecclesiam consistens, & contra pacem ac dilectionem Christi faciens, inter aduersarios & antichristos coputetur. Neg. n. Dominus noster Iesus Christus cum in Euangelio suo testaretur, aduersarios suos esse eos, qui secum non

essent,

Luce. II.

1. Joh. 2.

Matth. 13.

Cant. 6.

Ibid. 4.

1. Pet. 3.

Ephes. 5.

Exod. 12.

Iosue. 2.

essent, aliquam speciem hæreseos designauit; sed omnes omnino hæreticos qui secum non essent, & secum non colligentes gregem suum spargerent, aduersarios suos esse ostendit, dicens: *Qui non est mecum, aduersum me est. & qui mecum non colligit, spergit.* Item beatus Ioannes Apostolus nec ipse ullam hæresim, aut schisma discreuit aut aliquos speciatim separatos posuit, sed vniuersos qui de Ecclesia exissent, quiq; contra Ecclesiam facerent, antichristos appellauit, dicens: *Audistis quia antichristus venit, nunc autem antichristi multi facti sunt. Vnde cognoscimus quia nouissima hora est: ex nobis exierunt, sed non fuerunt ex nobis; si enim fuissent ex nobis, mansissent utique nobiscum.* Vnde apparet aduersarios Domini antichristos omnes esse, quos constet à charitate atq; ab unitate Ecclesie Catholice recessisse. Adhuc quoq; Dominus in Euangelio suo ponit & dicit: *Si uero & Ecclesiam contempserit, si tibi tanquam ethnicus & publicanus.* Si autem qui Ecclesiam contempnunt, ethnici & publicani habentur, multo magis utiq; rebelles & hostes, falsa altaria, & illicita sacerdotia, & sacrificia sacrilega, & nomina adulterata fingentes, inter ethnicos & publicanos necesse est computentur, quando ⁶ minora peccantes, & tantum Ecclesie contemptores, ethnici & publicani sententia Domini iudicentur. ⁷ Quod autem ecclesia una sit, declarat in cantico canticorum Spiritus S. ex persona Christi dicens: *Vna est columba mea, perfecta mea. Vna est mater mea, ecclesia generatrix sua.* de qua item denuo dicit: *Hortus conclusus, fons meus, sponsa; fons signatus, puteus aquæ uiuæ.* Si autem hortus conclusus est sponsa Christi, quæ est Ecclesia; patere res clausa alienis & profanis non potest. Et si fons signatus est; neq; bibere inde, neq; consignari potest, cui foris posito accessus ad fontem non est. Puteus quoq; aquæ uiuæ vniuersus est, idemq; intus est; uiuificari & sanctificari foris positus ex illa aqua non potest, ex qua solis eis, qui intus sunt, usus omnis & potus concessus est. Quod & Petrus, ostendens vnam Ecclesiam esse, & solos eos qui in Ecclesia sint, baptizari posse, posuit & dixit: *In arca Noe pauci, id est, octo anime hominum saluæ factæ sunt per aquam, quod & vos similiter saluos faciet baptisma;* probans & contestans vnam arcam Noë typum fuisse vniuersæ Ecclesie. Si potuit tunc in illo expiari & purificari mundi baptismo saluus per aquam fieri, qui in arca Noë non fuit, potest & nunc uiuificari per baptismum, qui in Ecclesia non est, qui soli baptismum concessum est. Sed & Paulus Apostolus hoc idem adhuc apertius & clarius manifestans ad Ephesios scribit & dicit: *Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut eam sanctificaret, purgans eam lauacro aquæ.* Quod si vna est Ecclesia, quæ à Christo diligitur, & lauacro eius sola purgatur: quomodo qui in Ecclesia non est, aut diligi à Christo, aut ablui & purgari lauacro eius potest? Propter quod cum sola Ecclesia habeat aquam vitalem, & baptizandi atq; abluendi hominis potestatem; qui dicit apud Nouatianum baptizari & sanctificari aliquem posse, prius ostendat & doceat Nouatianum in Ecclesia esse, aut Ecclesie presidere. Ecclesia enim vna est, quæ vna & intus esse & foris non potest. ¹¹ Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit. Si vero apud Cornelium fuit, qui Fabiano episcopo legitima ordinatione successit, & quem præter sacerdotum honorem martyrio quoq; Dominus glorificauit, Nouatianus in Ecclesia non est; nec episcopus computari potest qui euangelica & Apostolica traditio contempta, nemini succedens, ¹² à se ipso ortus est: habere namq; aut tenere Ecclesiam nullo modo potest, qui ordinatus in ecclesia non est. Foris n. non esse Ecclesiam, nec scindi aduersum se, aut diuidi posse, sed inseparabilis atq; indiuidua domus unitatem tenere, manifestat scripturæ diuinæ fides, cum de sacramento paschæ & agni, qui agnus Christum designabat, scriptum sit: *In domo vna comedetur, non cuiuslibet de domo carnem foras.* Quod item circa Raab, quæ ipsa quoq; typum portabat ecclesie, expressum videmus, cui mandatur & dicitur: *Pater tuum, & matrem tuam, & fratres tuos, & totam domum patris tui coliges ad te ipsam in domum tuam, & omnis qui exierit ostium do-*

mus tuæ foras, reus sibi erit. Quo sacramento declaratur in vnam domum solam, id est, in Ecclesiam, victuros & ab interitu mundi euasuros, colligi oportere. ¹³ Quisquis autem de collectis foras exierit, i. e. si quis quamuis in Ecclesia gratiam consecutus, recesserit, & ab Ecclesia exierit, reum sibi futurum, id est, ipsum sibi quod perierit, imputaturum. Quod Apostolus Paulus explanat, docens & præcipiens *hereticum vitandum esse, ut peruersum & peccatorem. & a semetipso damnatum.* ¹⁴ Hic enim reus sibi erit, qui non ab episcopo ciecitus, sed sponte de ecclesia profugus, & hæretica præsumptione a semetipso damnatus. Et siccirco Dominus in finibus nobis unitatem de diuina auctoritate venientem ponit & dicit: *Ego & pater vnus sumus:* ad quam unitatem rediens Ecclesiam suam, denuo dicit: ¹⁵ *Et erit vnus grex & vnus pater.* Si autem grex vnus est, quomodo potest gregi annumerari, qui in numero gregis non est? aut pastor haberi quomodo potest, qui (manente vero pastore, & in Ecclesia Dei ordinatione succedente præsentem) nemini succedens, ¹⁶ & à se ipso incipiens, alienus sit & prophanus, dominicus pacis ac diuinæ unitatis inimicus, non habitans in domo Dei, id est in Ecclesia Dei, in qua non nisi cōcordes atq; vnanimes habitant; loquente in palam Spiritu sancto & dicente: *Deus qui habitat in vniuersis vniuersis in domo.* Deniq; vnanimitatem Christianam firma sibi atque inseparabili charitate connexam etiam ipsa dominica sacrificia declarat: ¹⁷ Nā quādo Dominus corpus suum panem vocat de multorum granorum adunatione cōgestum, populum nostrum quem portabat indicat adunatum: & quādo sanguinem suum vinum appellat, de botris atq; acinis plurimis expressum ¹⁸ atque in vnum coactum; gregem item nostrum significat, cōmixtionem adunatæ multitudinis copulatū. Si Nouatianus huic pani dominico adunatus est, ¹⁹ si Christi poculo & ipse cōmixtus est, poterit videri & vnicui Ecclesiastici baptismi habere gratiam posse, si cum cōstituerit Ecclesie unitatem tenere. Denique quā sit inseparabile unitatis sacramentū & quā sine ipse sint, & perditionē sibi maximam de indignatione Dei acquirant, qui schisma faciunt & relicto Episcopo alii sibi foris pseudopiscopū cōstituit, ²⁰ declarat in libris Regnorū scriptura diuina, vbiā tribu Iuda & Beniamin decem tribus scissæ sunt, & relicto rege, alterū sibi foris cōstituerūt: *Et indignatus est inquit Dominus in omne semen Israël, & dimisit eos, & dedit eos in direptionem, donec abiceret eos à facie sua.* quia dissipatus est Israël domo David, & constitutus sibi regem Hieroboam ²¹ filium Nabath. Indignatum esse Dominum dicit, & eos in perditionem dedisse, quod ab unitate dissipati essent, ²² atq; adulterum sibi regem constituisent. Et tāta indignatio Domini exitit aduersus illos, qui schisma fecerant, vt etiam cum homo Dei ad Hieroboam missus esset, qui ei peccata sua exprobarer, atque vltionem futuram prediceret, panem quoq; apud illos edere, & aquam bibere vetaretur. Quod cum nō custodisset, & contra præceptum Dei prandisset, statim ²³ diuinæ censuræ maiestate percussus est, vt inde regrediens, impetu ac morsu leonis in itinere necaretur. Et auferat quisquam dicere, aquam baptismi salutarē, & gratiam cœlestem communem cum schismaticis esse posse; cū quibus nec terrestres cibis, nec secularis potus debet esse communis: ²⁴ Sonat adhuc in Euangelio suo Dominus, & maiorē intelligentiæ lucem manifestat, quod iidem qui se tunc à tribu Iuda & Beniamin sciderant, & Hierosolymis derelictis, Samariam ceciderant, inter profanos & gentiles computarentur. Nam cum primum discipulos suos in ministerium salutis mitteret, mandauit & dixit: *In vnam nationem ne ieritis, & in ciuitatem Samaritanorum ne introieritis.* Ad Iudeos prius mittens, gentiles adhuc præteriri iubet. Addendo autē, & ciuitatem Samaritanorū decere omitti, vbi erat schismatici; ostendit schismaticos gentilibus adæquari. ²⁵ Quod si aliquis illud opponit, vt dicat eādē Nouatianū legē tenere, quā Catholica Ecclesia teneat, eodē symbolo quo & nos baptizare, eūdē nosse Deū patre, eūdē filiū Christū, eūdē Spiritum S. ac ppter hoc vsurpare eū potestatem baptizandi

Titum 3.

Iosue. 10.

Ibidem.

Psal. 67.

1. Reg. 12.

& 13.

Matth. 10.

tizandi posse, quod videatur in interrogatione baptis-
mi à nobis non discrepare: sciat quisquis hoc opponen-
dum putat, primum non esse vnam nobis & schismati-
cis symboli legem, neque eandem interrogationē. Nā
cum dicunt: *Credis remissionem peccatorum & vitam aeternam*
per sanctam Ecclesiam? mentiuntur in interrogatione, quā-
do non habeant ecclesiam. Tunc deinde voce sua ipsi
confiterentur remissionem peccatorum non dari, nisi per
sanctam Ecclesiam posse; quam non habentes, ostendit
remitti illis peccata non posse. Quod vero eundē quē
& nos Deum patrem, eundem filium Christum, eundē
Spiritum sanctum nosse dicuntur, nec hoc adiuuare ta-
les potest. Nam & Chore, & Dathan, & Abiron, cum
sacerdote Aaron & Moysē eundem Deum nouerant,
pari lege & religione viucentes, vnum & verum Deum,
qui colendus atque inuocandus fuerat, inuocabant.
Tamen quia loci sui ministerium transgressi cōtra Aa-
ron sacerdotem, qui sacerdotium legitimū dignatio-
ne Dei atque ordinatione perceperat, ²⁶ sacrificandi li-
bilitatem vendicauerunt, diuinitus percussī ²⁷ pœ-
nas statim pro illicitis conatibus pederunt, nec potue-
runt rata esse, & proficere sacrificia, irreligiose & illici-
te contra eius diuinā dispositionis oblata. Turbula
quoque ipsa, in quibus incensum illicite fuerat oblatum,
nec in vfu de cetero essent sacerdotibus, sed potius indi-
gnationis & vltionis diuinæ memoriā corrigendis po-
steris exhiberent; iussu Domini cōflata atque igne purga-
ta, in laminas duciles producantur, & affiguntur alta-
ri, secundum quod loquitur scriptura diuina: *Memoriale*
inquit filijs israel, ut nō cecidat quisquam alienigena, qui non est
ex semine Aaron, imponere in eis, sicut ante Dominum, ut non sit sicut
Chore. Ertamen illi schisma non fecerant, nec foras e-
gressi, contra Dei sacerdotes imprudenter atque ho-
stiter rebellauerant; ²⁸ quod nunc hi Ecclesiam scin-
dentes, & contra pacem atque vnitatem Christi rebel-
les, ²⁹ cathedram ubi constituitur, & primum assumen-
te, & baptizandi atque offerendi licentiā vendicare co-
nantur. Quo modo perficere que agunt, aut impetrare
aliquid illicitis conatibus de Deo possunt, qui contra
Deum, quod eis non licet, moluntur? Quare qui Noua-
tiano, siue ceteris eiusmodi schismaticis patrocinantur;
frustra contendunt baptizari & sanctificari illic ali-
quē saluari baptismo posse, ubi cōstet baptizantem bap-
tizandi licentiam non habere. Atque ut magis intelli-
gi posset contra eiusmodi audaciam, quē sit censura diui-
na; inuenimus in tali facinore non solum duces & au-
ctores, sed & participes pœnis destinari, nisi se à comū-
nitione malorum separauerint, ³⁰ præcipiente per Moy-
sen Domino & dicente: *Separamini à tabernaculis hominum*
istorum durissimorum & nolite tangere ab omnibus que sunt eis,
ne simul pereatis in peccato eorum: & quod comminatus per
Moysen Dominus fuerat, impleuit; ut quisquis se à
Chore, & Dathan, & Abiron non separasset, pœ-
nas statim pro impia communione percolueret. Quo
exemplo ostenditur & probatur, ³¹ obnoxios omnes
& culpæ, & pœnæ futuros, qui se schismaticis con-
tra præpositos & sacerdotes irreligiosa temeritate mi-
seuerint. Sicut etiam per Osee prophetam Spiritus
sanctus contestatur & dicit: *Sacrificia eorum tanquam*
panis luctus, omnes qui manducant ea, contaminabuntur.
Docens scilicet & ostendens omnes omnino cum
auctoribus supplicio coniungi, qui fuerint ³² eo-
rum peccato contaminati. Quæ ergo apud eos merita
esse circa Deum possunt, quib. supplicia diuinitus irro-
gantur? aut quo modo tales iustificare & sanctificare
baptizatos possunt; ³³ qui hostes sacerdotum, aliena &
illicita, & nullo sibi iure concessa, vrsupare conantur?
Quostamen ipsos nō miramur pro sua prauitate con-
tendere. ³⁴ Asserant enim necesse est singuli quique; quod
faciunt, nec volunt victi facile succumbere, quamuis
sciant id quod faciunt, non licere. Illud mirandum est,
immo indignandum potius & dolendum; Christianos
antichristis assistere, & præuicacitatem fidei atque Ec-
clesiæ proditores, ³⁵ intra ipsa septa Ecclesiæ contra Ec-
clesiam stare. Qui quoniā pertinaces alias & indociles,

vel hoc tamen cōsentitur; quod vniuersi siue hæretici
siue schismatici non habeant Spiritum sanctum, & i-
deo baptizare quidem possint, dare autem Spiritum
sanctum non possint: in hoc ipso à nobis tenentur, ut
ostendamus nec baptizare omnino eos posse, qui non
habeant Spiritum Sanctum. Nam cum in baptismo v-
nicuique peccata sua remittantur, probat & declarat in
euangelio suo Dominus, per eos solos peccata posse
dimitti, qui habeant Spiritum sanctum. Post resurrectio-
nem enim discipulos suos mittens loquitur ad eos &
dicit: *si ut misit me pater & ego mitto vos. Hoc cum dixisset in-*
suflauit & ait illis: Accipite spiritum sanctum. Si cuius remiseritis
peccata, remittentur illi: si cuius tenueritis, tenebuntur. Quo in
loco ostendit, cum solum posse baptizare, & remissio-
nem peccatorum dare, qui habeat Spiritum sanctum.
Denique ipsum Christum Dominum nostrum bap-
tizaturus Ioannes, accepit ante Spiritum Sanctum, cum
adhuc esset in vtero matris constitutus; ut certum esset
atque manifestum, baptizare non posse, nisi eos qui
habeant Spiritum sanctum. Itaque qui hæreticis siue
schismaticis patrocinantur, respondeant nobis, ha-
beant ne Spiritum Sanctum, an non habeant? Si habent,
cur illic baptizatis, quando ad nos veniunt, manus im-
ponitur ad accipiendum Spiritum sanctum, cum iam
vtrique illic acceptus sit, ³⁶ ubi si fuit, dari potuit? Si au-
tem foris cuncti hæretici & schismatici non habent
Spiritus sanctum, & ideo apud nos manus imponitur,
ut hic accipiantur, ³⁷ quod illic nec est, nec dari potest;
manifestum est nec remissionem peccatorum dari per
eos posse, quos constat Spiritum sanctum non habere.
Et ideo ut secundum diuinam dispositionem atque
euangelicam veritatem, peccatorum remissionem co-
se qui & sanctificari, ac templa Dei fieri possint; Ecce-
siæ baptismo baptizandi sunt omnes omnino, qui ab
aduerariis & antichristis ad Christi Ecclesiam veniunt.

³⁸ *Quæ si etiam fili charissime, quid mihi de il-*
lis videatur, & qui in infirmitate & languore gratiam
Dei consequuntur, an habendi sint legitiimi Christiani,
eo quod aqua saluari non loti sint, sed perfusi. ³⁹ Quæ
in parte nemini verecundia & modestia nostra præi-
dicat, quo minus vnusquisque quod putat, sentiat, &
quod senserit, faciat. Nos quantum cōcipit mediocri-
tas nostra, existimamus in nullo mutilari & debilitari
posse beneficia diuina, nec minus aliquid illic posse cō-
tingere, ubi plena & tota fide & dantis & sumentis ac-
cipitur, quod de diuinis muneribus hauritur. Neque e-
nim sic in sacramento salutari delictorum contagia, ut
in lauacro carnali & sæculari sordes cutis & corporis
abluuntur, ⁴⁰ ut aphronitis, & ceteris quoque adiu-
mentis, ⁴¹ & folio & piscina opus sit, quibus ablui &
mundari corpusculum possit. Aliter pectus credentis
abluatur, aliter mens hominis per fidei merita munda-
tur. In sacramentis salutaribus ⁴² necessitate cogente,
& Deo indulgentiam suam largiente, totum credenti-
bus conferunt diuina compendia. ⁴³ Nec quemquam
mouere debet, quod aspergi vel perfundi videntur æ-
gri, cum gratiam dominicam consequuntur; quando
scriptura sancta per Ezechielem Prophetam loquitur
& dicit: *Et aspergam super vos aquam mundam, & mundalimi-*
ni ab omnibus immunditiis vestri. ⁴⁴ *Et ab omnibus simulariis ve-*
stri emundabo vos, & dabo vobis cor novum, & spiritum novum
dabo in vobis. Item in Numeris: *Et homo qui fuerit immundus*
vsque ad vespertam: hic purificabitur die tertio & die septimo, & mū-
ndus erit. Si autem non fuerit purificatus die tertio & die septimo, nō
erit mundus, & exterminabitur anima illa de israel, quoniam a-
qua aspersio non est super eum sparsa. Et iterum: *Et locutus est*
Dominus ad Moysen dicens: Accipe Leuitas de medio filiorum israel,
& purificabis eos. Et ita facies tu purificationem, circumsparges eos
aqua purificationis. Et iterum: *Aqua aspersio purificationis est.*
Vnde apparet, asperktionem quoque aquæ instar salu-
taris lauacri obtinere; & quando hæc in Ecclesia fiunt,
ubi sit & dantis & accipientis fides integra, stare om-
nia & consummari ⁴⁵ ac perfici posse maiestatem Domini
& fidei veritate. Porro autem quod quidem eos saluta-
ri aqua & fide legitima Christi gratiam consecutos, nō

Ioan. 5.

Christianos sed Clinicos vocant, non inuenio unde hoc nomen assumant; nisi forte qui plura & secretiora legerunt ⁴⁷ apud Hippocratem vel Soranum, *κλινικός* istos deprehenderunt. ⁴⁸ Ego enim qui Clinicum de Euangelio noui, scio paralytico illi & debili per longa ætatis curricula in lecto iacenti, nihil infirmitatem suam obfuisse, quo minus ad firmitatem celsè plenissime perueniret: nectantum indulgentia dominica excitatū de grabato esse, sed ipsum grabatū suum, reparatis & vegetatis viribus, sultulisse. Et ecce quantum fide concipere et sentire nobis datur, mea sententia hæc est, vt Christianus iudicetur legitimus, quisquis fuerit in Ecclesia lege & iure fidei diuinam gratiam consecutus. Aut si aliquis existimat eos nihil consecutos, eo quod aqua salutari tantum perfusi sint, ⁴⁹ sed inanes & vacui sunt; non decipiantur, vt si incommodum languoris euaserint & conualuerint, ⁵⁰ baptizentur. Sciam autem baptizari non possunt, qui iam baptismo ecclesiastico sanctificati sunt; cur in fide sua & Domini indulgentia scandalizentur? An consecuti sunt quidem gratiam dominicam, sed breuiore & minore mensura muneris diuini ac Spiritus sancti, vt habeantur quidē Christiani, non sint tamen ceteris adæquandi? Quinimo Spiritus sanctus non de mensura datur, sed super credentē totus infunditur. Nam si dies omnibus æqualiter nascitur, & si sol super omnes pariter & æquali luce diffunditur; quanto magis Christus sol & dies verus, in Ecclesia sua lumen vitæ æternæ pariter & æqualitate largitur? Cuius æqualitatis sacramentum videmus in Exodo esse celebratum, cum de celo manna deflueret, & futurorum præfiguratione alimentum panis celestis & cibum Christi venientis ostenderet. Illic enim sine discrimine vel sexus, vel ætatis Gomorā singulis æqualiter colligebatur. Vnde apparebat, Christi indulgentiam & celestem gratiam postmodum secuturam, æqualiter omnibus diuidi sine sexus varietate, ⁵¹ sine annorū discrimine, sine acceptione personæ super omnē Dei populum ⁵² spiritualis gratiæ munus infundi. Plane eadem gratia spiritalis, quæ æqualiter in baptismo à credentibus sumitur, in conuersione atque actu nostro postmodum vel minuitur, vel augetur; vt in Euangelio Dominicum semen æqualiter seminatur, sed pro varietate terræ aliud absumitur, aliud in multiforem copiam vel tricesimi, vel sexagesimi, vel centesimi numeri fructu exuberante cumulat. Adhuc vero cum singuli ad denarium vocentur, quid est vt quod à Deo æqualiter distribuitur, humana interpretatione minuat? Quod si aliquis in illo mouetur quod quidam de iis qui agri baptizantur, spiritibus adhuc immundis tentantur; sciat diaboli nequitiam pertinacem vsque ad aquam salutarem valere, in baptismo vero ⁵³ omne nequitia suæ virus amittere. Quod exemplum cernimus in rege Pharaone, qui diu reluctatus, & in sua perfidia demoratus, tã diu resistere potuit & preualere, donec ad aquam veniret: quo cum venisset, & victus est, & extinctus. Mare autem illud sacramentum baptismi fuisse, declarat beatus Apostolus Paulus dicens: Nolo enim vos ignorare fratres, quia patres nostri omnes sub nube fuerant, & omnes per mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari. Et addidit dicens: Hæc autem omnia figura nostra fuerunt. Quod hodie etiam geritur, ⁵⁴ vt per exorcistas voce humana & potestate diuina flagelletur, & vratur, ⁵⁵ & torquetur diabolus: & cum exire se, & homines Dei dimittere sepe dicat, in eo tamen quod dixerit fallat, & id quod per Pharaonem prius gestum est, eodē mendacio obstinationis & fraudis exerceat. Cum tamē ad aquam salutarem, atque ad baptismi sanctificationem veniat, scire debemus, & fidere, quia illic diabolus opprimitur, & homo Deo dicatur diuina indulgentia liberatur. ⁵⁶ Nam si scorpj & serpentes, qui in sicco praualent, in aquam precipitati, preualere possunt, aut sua venena retinere: possunt, & spiritus nequam, (qui scorpj & serpentes appellantur, & tamen per nos data à domino potestate calcantur) permanere ultra in hominis corpore, in quo baptizato & sanctificato incipit Spiritus

sanctus habitare. Hoc denique & crebris ipsis experimur, vt necessitate urgente, in ægitudine baptizati & gratia consecuti, careant immundo spiritu, quo antea mouebantur; & laudabiles ac probabiles in Ecclesia viuunt, plūsq; per dies singulos in augmentum celestis gratiæ per fidei incrementa proficiat. Et contra sepe nonnulli de illis qui sani baptizantur, si postmodum peccare cœperint, spiritu immundo redeunte, quatiuntur; vt manifestum sit, diaboli in baptismo fide credentis excludi, si fides postmodū defecerit, regredi. ⁵⁷ Nisi si iustum quibuscūq; videtur, vt illi qui extra Ecclesiā apud aduersarios & antichristos profana aqua polluuntur, baptizati indicentur: hi vero qui in ecclesia baptizantur, minus indulgentia & gratia diuinæ consecuti esse videantur, & tantus honor habeatur hæreticis, vt inde venientes non interrogentur vtrumne loti sint, an perfusi; vtrumne ⁵⁸ Clinici sint an Peripatetici: apud nos autē de integra fidei veritate detrahatur, & baptismo ecclesiastico maiestas sua & sanctitas derogatur. Rescripsi, fili charissime, ad litteras tuas, quantū parua nostra mediocritas valuit, & ostendi, quod nos quantū in nobis est sentiamus, ⁵⁹ nemini præscribentes, quominus statuat quod putat vnusquisque præpositus actus sui rationem Domino redditurus, secundum quod beatus Apostolus Paulus in epistola sua ad Romanos scribit & dicit: Vnusquisque nostrum pro se rationem dabit. Non ergo nos iniūcimus. Opto te fili charissime lemper bene valere.

Rom. 14.

ADNOTATIONES IN EPISTOLAM LXXVI.

1. Magno filio | Hæc in scriptis huic epistolæ peculiaris est, quam tamen habent Ms. Assig. Blandin. Marc. & Dun. Causib. vero est huius legatæ. Fratri, in ipso contextu cum ceteris legit: fili charissime. Sufior itaque laicum fuisse Magnum, atque adeo suum peculiariter appellatum.
2. Pro tua religioſa diligentia &c. | Propositio est quæſtionis à Magno propositæ, quam prior epistola parte pertractat. Quum autem isdem scripturæ suam sententiam renouat, quibus vsus est epistolis præcedentibus, leui quod aint, brachio pertranſibimus.
3. dicimus omnes hæreticos &c. | Hæc in decretum suum digressi Grat. 24. qu. 3. ca. dicimus. Illud autem: propter quod, ex Ms. subiungimus cum Manut. & Morel. pro eo quod erat: propter hoc.
4. manifestent vti que nobiscum | Particulam vti que, adiciunt excusati & Ms. omnes, excepto Camb. & Manut. quare illam de nouo adiciamus præſertim quum reperitur etiam supra epistolis lv. & lxx.
5. & nomen adulteræ | Alludit ad nomen quod sibi arrogabant Nouatiani, *adulteræ*, id est, puros se nuncupantes: Epiph. teste hæc.
59. & D. Augustino hæc est.
6. minora peccantes | Phraſis hæc Cypriani reperitur etiam apud Cicer. qui pro Murena, non multa peccare dicit.
7. Quod autem Ecclesiæ vnica sit | De unitate ecclesiæ peculiaris est tractatus Tom. 2. ubi de ea latius.
8. vna est mater fuisse | Sic recte Assig. Blandin. Marc. Dun. cod. & Manut. pro eo quod ceteris: matris.
9. id. inque intus est | Hæc ex isdem rescripsimus & cod. Causib. pro eo quod excusati omnes corrupti, idem qui intus est.
10. & scilicet sum tradidit | Sic Ms. & excusati omnes, excepto Camb. & Dun. qui legunt: semetipsum, non male. Tractat autem hinc Pauli locum D. Aug. lib. 4. de bapt. contra Donat. c. 3. & 4.
11. Si enim apud Nouatianum est, apud Cornelium non fuit | differis verbis docet, Ecclesiæ notam esse legitimam successionem Romanorum Pontificum, ex quo quum dicat apud Cornelium fuisse ecclesiā, quia legitima ordinatione Fabiano successit, apud Nouatianum non esse, quia nemini succedens à seipso ortus est. Similia dicit supra ad Antonianum. Atque hinc est, quod alij quoque veteres illam iudicauerunt esse ecclesiā Catholicam, in qua Romanus Pontifex præſideret. Sic teste D. Ambrosio orat. funebri, Satyrus eius frater perueniebat ab Episcopo quodam, carum cum Episcopo Catholicis, id est, cum Romana ecclesiā conueneret. Sic D. Hieron. epistola ad Damasum, fontem signatum, & hortum ecclesiæ conclusum in Petri Cathedra esse docet, & extra eam ecclesiā, qui agnum comederit, prophetaum esse, si quis in illa est in arca Noe non fuerit, periturum diluio, aliudens haud dubie ad hunc & Cypriani similes locos Idem ad eundem sequ. epistola Si quis inquit Cathedra Petri inſigetur, meus est. Sic Diuus Augustinus contra epistolam fundam. ca. 4. Tunc me inquit in ecclesiā ab ipsa sede Apostoli Petri ad præſentem episcopatum sacerdotum successio. Sic idem in psalmo contra partem Donati, & epistola 165. ad Optatum Mileui contra Parm. lib. 2. Donatistas conuincit, doctrina continuo tradita in Ecclesiā Romana, per legitimam Pontificum successionem, & eodem argumento sua ætatis hæreticos impugnans præſertim lib. 3. c. 3. Irenæus, & ipsius initatus Tertul. lib. de præſcript. aduersus hæreticos, ac Origenes l. 1. h. Peritarch.
12. a seipso ortus est | Sic recte Ms. Manut. & Morel. nam legitur in Gratianus 24. quæſtione tertia dicto capite. Neque vero commoda erat

p107

prior lectio: ordinatus est, nemo enim à seipso ordinari potest.
 13. Qui (quis autem de collectis foras exierit) Etiam hic recte illi
 & verus excusus cum Rembol. pro eo quod erat: eiecit: possime.
 14. hic n. reus sibi erit, qui] Hic lectio est veteris excusi cod. pro quo
 Remb. non recte: hic enim qui sibi reus erit; Ms. autem cum Manut.
 interierit: est, sed prima lectio magis placet.
 15. Et erit vnum quile] Magis placet hoc lectio Cambren. cod. Ma-
 nut. & Morelii, quam ceterorum: Et erunt, eo quod cum Græcè tum Latine
 sic hodie legitur apud Evangelistam.
 16. & a seipso incipiens] Sic Ms. & excusi, excepto Camb. qui ha-
 bet: a semetipso, pro quo Manut. & Morelius, a se ipse, sed prius malo.
 17. Nam quando dominus corpus suum] Similis locus est supra e-
 pistola ad Cæciliam.
 18. atque in vnum coactum] Quum sic legant Ms. & excusi
 veteris cum Rembol. suspitor vitio operum irrepisse in editionem. E-
 ra. miam: in vnum.
 19. si Christi poculo] Primus ita legendum adnotavit ad marg. E-
 rasimus, & recte, nam consentiunt Ms. cod.
 20. declarat in libris regnorum scriptura divina] Desideratur hoc
 in Ms. excepto Cambren. sed profus adiciendum constat.
 21. filium Nabath] Hic ex mendo cod. Remboldi possime antea lege-
 batur: Naboth, nam prius habet veteris excusi & Ms. omnes, textus et-
 iam in se libri Regum.
 22. atque adulterum sibi Regem] Quum sic legant Ms. excepto
 Camb. verus quoque excusus & Remboldus, non placet quod prius repo-
 suit Erasimus: alterum; præsertim quoniam prius ad Cyprianum phrasin
 accedit magis. Atque idem sentio, de eo, quod habet veteris excusi & Ms.
 excepto Cambrenensi.
 23. divina censura maiestate] pro eo quod illa: divina censura
 maiestatis, certe prius etiam placuit Manut. & Morel.
 24. Sonat adhuc in Evangelio dominus] Ita restituius hunc
 locum ex codice Cambren. ceteri legebant: Sicut, corrupte. Exc. quidem
 veteris legit: sancti, sed prius magis accedit ad vulgatam lectionem.
 25. Quod si aliquis illud opponit, &c.] Similia profus videre est e-
 pistola. lxx.
 26. sacrificandi sibi licentiam vendicaverunt] Sic recte Manut.
 & Morel. ex Ms. pro eo quod erat: vendicaverunt.
 27. penas, &c. penderunt] Quum sic vulgata lectio reperitur
 & in vet. excu. & in Ms. omnibus, non placet quod legunt illi: repederunt.
 28. quod nunc hi Ecclesiam incendentes] Ita recte Ms. Camb.
 Manut. & Morelius, in ceteris desiderabatur: hi.
 29. Cathedrali sibi constituere & primatum assumere.] Quum
 de cathedra Romana loquatur, quam intrudere nitebatur Novatianus,
 confirmat certe hic locus Primatum Romani Pontificis.
 30. præcipiente per Moysen domino] Illud: per Moysen recte
 adiectum est ab illis, nam id habent Ms. & Gratianus dicto loco.
 31. Obnoxios omnes, &c. futuros Sic illi, veteris excu. & Ms. ex-
 cepto Camb. qui cum vulgatis excusi legunt: obnoxios se, &c. facturos.
 32. eorum peccato contaminati] Ita recte quoque illi cum Ms. &
 Gratiano, pro eo quod erat corrupti. communiati.
 33. qui hostes sacerdotum, aliæna & illi citia & nullo sibi iure cõ-
 cella] Etiam hoc illi recte cum Ms. vet. exc. & Remboldo, pro eo quod
 Erasimus omnes: hostias, corruptissime, nisi suum legatur cum Camb.
 codice: qui hostias sacerdotum alienas & illi citia & nullo sibi iure
 concessas. Prior tamen lectio magis arridet.
 34. Asserant enim necesse est] Adiecit particula: enim, ex
 cod. Camb. antea desideratam.
 35. inter ipsa septa Ecclesiarum] Eleganter est hac lectio Ms. cod. Afflig.
 Bland. March. Dun. & Cauch. quam vulgata illa & Camb. cod. in-
 tus in ipsa Ecclesia. Quum autem de Stephano hac dicitur, verisimili-
 ter, scriptum hanc epistolam post ceteris existim argumentis epistolam.
 36. ubi fuit, dari potest] Interiecta particula: qui, ab Erasmo,
 sensum obscurabat, nequid vero ab habent Ms. ant. vet. excu. aut Remboldus.
 37. quod illis nec esse nec dari potest] Recte sic etiam illi cum Ms.
 pro eo quod erat: nec esse, A quibus etiam adiecta vox: posse prius de-
 siderata, sic etiam legit Gratianus loco sape citato.
 38. QUÆSTI ETIAM FILI CHARITATIS] Perperam hac posterior
 huius epistola pars in excusis hactenus omnibus disjuncta fuit à præceden-
 ti, & velut alia epistola edita. Quod quum iam olim adnotaverit Eras-
 mus, nescio quid Morelio in mentem venerit, qui hanc partem longe ante
 aliam in nova sua editione, ordine plane perturbato, excuderit, utpote qui
 hanc pag. 118. illam vero reperire sit pag. 230. Nos certe, una cum sit epi-
 stola, in duas distinguendam non putavimus, ut tamen aliquod adhuc
 restaret vestigium dictæ partitionis in duas, priora verba manifeste lit-
 teris excusis suffragantur, Atque legendum hanc charitatem, primus recte con-
 ceit H. grauius, nam sic legunt Ms. omnes.
 39. quum infirmis & languore gratiam Dei consequuntur] ut
 occasione questionis huius certam existimem, ob Novatianum ipsam,
 de quo & præcedenti agit epistola parte: faciunt verba epistola sape dicta
 Comelli ad Fabianum Antiochenum, citata ab Enchieo & repetita à
 Nicephoro lib. 5. cap. 3. præsertim quum sub finem epistola huius etiam de
 Demonio instituitur questio. Constat n. inq. Novatianum, quum
 in iuventute spiritu immundo vexaretur, neque adeo apud exorcistas a-
 geres, in morbum gravem incidisse, quomodo in expectatione mortis ef-
 fer in lecto perfunctum fuisse. Neque vero mirum est huc de re dubitasse Ma-
 nutium: quum sua adhuc ætate Nicephorus pro definitio habuisse non
 videretur, fuisse vero illum baptizatum. Nam hoc verba hactenus satis
 indicant: Aquam peti, qua in ipso lecto ita ut decubebat perfunctus,
 baptizatus se est: si quidem inunctionem huiusmodi baptismum vocare licet.
 40. Quia in parte nemini] Ita rectius Cambren. cum excusi, quam
 ceteri Ms. neminem.

D. Cecil. Cyp. rom. 1.

41. v. aphron tuis] Peram hanc huius loci lectionem corruperunt li-
 brarii Græcæ lingua ignari. Quidam n. litera x, omis, scripserunt apho-
 nitis, quod est in Ms. Afflig. Bland. March. Dun. & Cauch. cod. alii
 (quod in Cambren. cod. & Gemblac. quantum ex Erasmo colligere est)
 lapone & nitis. Atq. adeo miror hanc lectionem maluisse sequi Erasimum,
 quam veram illam veteris excusi & Remboldi, quem per omnia imitari
 solet. Certe Manut. & Morelius illam nobiscum legunt, & ante nos, ex
 conjectura Cauchii. Notam autem huius vocis significationem facit car-
 men illud Martialis lib. 14.
 Rusticus es, nescis quid Græco nomine dicar,
 Spuma vocor niri, dicor & aphronitrum.
 42. & folio & piscina sit opus] Solum accipitur à Plinio, Catone,
 Celso, & Suetonio, pro vase, quo in balneis utebantur veteres. Ita Suet-
 on. in Augusto cap. 81. At quoties (inquit) nervorum causa maritis
 Albulis, calidus utendum esset, contentus hoc erat, ut in sudor liguro, o-
 lio (quod Hispanico verbo Duretam vocabat) manus ac pedes ligeros
 iaciat. Ex affinitate litterarum contigit, ut pro dicta Ms. cod. lectione
 irrepserit: dolio. Quem errorem & in Plinio animadvertunt quidam
 lib. 35. c. 12. ubi tamen pro leculo sepulchrali alia significatione solum ac-
 cipitur, sicut & apud Curtium lib. 10. de funere Alexandri Magni.
 Multo autem minus placet lectio Camb. cod. & Erasmi ad marginem loci o.
 43. necessitate cogente, &c. totum confertur divina compen-
 dia] Significat in necessitate omitti posse omnes baptismi ceremonias, ex-
 ceptis quæ ad Sacramenti necessitatem pertinent, sic tamen si consueve-
 rent, postea in fide instituerentur, ut patet Synodo Laodic. can. 48. Quan-
 quam tamen in necessitate baptizatos ante quibus ad Clerum difficillime
 admissos, perspicuum fiat ex Neoces. concilio can. 12.
 44. Nec quemquam moueat quod aspergi vel perfundi videan-
 tur & c.] Quum propter aegritudinem immorgeri sine iniungi (quod proprie
 baptizari est) egi non possent, aqua salutari perfunderentur, siue asper-
 gebantur. Eadem ratio ab Ecclesia Occidentali primam observari ce-
 pisse consuetudinem aspersiois, qua nunc vitatur, existimo, ob tenen-
 tudinem nempe infirmorum, quum iam varisimile esset aduocorum ba-
 ptismis. Comprobat autem cum multis scripturis Cyprianus. Olim certe
 tum in Occidentali, tum in Orientali ecclesia immorgeri solere, veteres
 scriptis suis manifestum faciunt, & Romæ id adhuc existatum ætate D.
 Gregorij, manifestum si excusis sacramentorum libro Ms. laque apud
 Anglos etiam observari, ad marginem adnotavit Erasimus.
 45. & ab omnibus simulacris vestris emundabo vos] Sic Ms. nostri
 quomodo etiam supra aliquid ex huiusmodi castigantur. Antea erat: &
 mundabo vos. Neque vero etiam Gratianus de consec. dist. 4. c. Nec
 quinquam, conuentionem: & legit.
 46. ac perfici posse maiestate Domini & fidei veritate. Porro au-
 tem quod quidam eos salutari aqua & fide legitima Christi gratia
 consecutos, non Christianos] Hæc lectio est Ms. cod. Manut. & Mo-
 relis, & Erasmi ad Marginem. Quare velut illam innotare. Placet ta-
 men magis vet. excusi cod. lectio: ac perfici eos salutari aqua & fide
 legitima Christi gratia consecutos, non posse maiestate Domini
 & fidei veritate fructuari. Porro quod quidam non Christianos,
 Quam Remboldus omis, voce: fraudari, obscurum reddiderat.
 47. apud Hippocritem vel Soranum] Hæc vox est istos] Græcè
 hanc voce legunt Ms. afflig. Dun. Bland. & March. cod. Hippocrates
 inter medicorum principes satis superque notus est. Sorani Ephesi me-
 dici duo fuerunt esse Suda, qui virisque scripta referent. Apud illos igitur
 merito nomen istud reperiri posse dicit, quum Medicis cū Clinico, i. e. le-
 do afflicti negotium esse solent, unde, & κλινικὸν à Plinio medicina di-
 citur. Certe etiam D. Hieron. in epitapho Paula ea voce in hac signifi-
 catione vitur.
 48. Ego n. qui Clinicum de Evangelio noui] Alludit ad cap. Io-
 annis 5. de paralytico (quem & Clinicum vocat, eo quod 35. annis in in-
 firmitate fuisse dicitur) curato à Christo apud Probaticam piscinam.
 49. Sed inanes & vacui sunt] Sic Camb. cod. rectius quam ceteri si-
 50. baptizentur] Depravata profus erat lectio vulgata ob adiectam
 negationem, quare recte omis est à Manutio & Morelio, neq. in Manu-
 scriptis reperitur.
 51. siue annorum discrimine] facit hoc quoque ad baptismum par-
 uulorum, de quo supra epistola ad Fidum latius.
 52. spiritualis gratia Dei munus] Ita vet. exc. Remboldus, Gratia-
 nus, & Ms. omnes, excepto Camb. quo cum Erasimus legit: spiritualis
 gratiam munus, minus recte.
 53. omne nequitia suæ vitæ] Nisi tam constanter sic legant Ms.
 omnes tum nostri tum quos viderunt Manut. & Morel. ne, igitur place-
 ret vet. & ceterorum excusorum codic. ac Gratiani lectio omnes ne-
 quitia suæ vitæ.
 54. ut per Exorcistas Exorcistarum Ordinis supra nominat epistola
 lxx. Potestatis quoq. ipsorum in demones epistola 2. de qua latius quod, in-
 fra aduersus Demerianum, & Tertul. lib. ad Scapulam. De eadem Mi-
 nutius Felix in suo Octauio, qui Arnobij titulo perperam hactenus in scri-
 bitur. Vetusissimum vero esse exorcizandi in ecclesia morem, etiam Epi-
 nici refertur, Vlpianus n. 1. G. Alexandri Imp. (iste Lamprido) Consi-
 liarius & Scrip. magister, si de var. & extraord. cognit. lib. 8. Medicis. Si
 incantant (inquit) vel imprecatus est, vel (ut vulgari verbo impesto-
 rit) utam si exorcizauit, non sunt ipsa medicine genera. Sic n. recte legi
 Remondus Rufus li. sape citato, pro eo quod vulgo legitur postea. Im-
 postores n. Christianos vocabant unde & eodem reseruisse videtur in No-
 rone Sutorius Adriani Imperator epistolari magister, in Christianos vo-
 cat genus hominū superstitiosum nouæ malefice. Neq. v. exorcismi dicit
 taxat: sus fuit ad expulsiōem demonū, in quas Energumēnos vocabant,
 venit in baptismo. Ad quæ haud dubie alludit dicta 2. epist. auctor noster

L 2

Frequen-

Frequentissime eiusdem meminit D. August. immo lib. 2. de gratia Dei & pecc. orig. c. 40. ac lib. 2. de nupt. & concup. c. 29. antiquissimam ecclesie traditionem dicit. D. etiam Chrysost. hom. de Adam & Eva. Opt. Milenit lib. 4. contra Parmen. D. Nazianzenus. Orat. de Baptismo ac D. Dionysius Areopag. eccles. hier. c. 1. dum exussulationis in demonem meminit, quæ in exorcismis exerceri solet. Immo & ab Apostolis usque exorcismos & à Christo ipso, manifestum sit. Act. 19. & Mar. 5. hic enim legitur: ἐπεὶ ἦν ἐν τῷ δαδὶ ἰλλεῖ vero ἐπεὶ ἦν ἐν τῷ δαδὶ ἰλλεῖ. Quod voce Scripturæ usitata veritas interpretatur. Adiuuamus vos, quam & in Latio alicubi usitatam hac significatione voluit quidam. Potescentiam quoque eiciendi demonia dixerit verbis Apostolis suis Christus tribuit Matth. 10. & Luc. 10. Marc. 16. Eodem Act. c. 16. Iudeorum Exorcistarum sit mentio, de quibus etiam illud Matth. 12. Filii vestri in quo eiciunt, interpretatur D. Hieron. in comment. Ab illis igitur ad Christianos translatus est & nomen & ministerium. Nam Salomonem inuenisse modos conuersionum quibus effugantur demones, testis est Ioseph. lib. 8. Antiquit. & Robanus Maurus cap. 10. lib. 1. de institut. clerie. Vbi & formam ordinationis eandem qua hodie utimur, adfert ex Concilio Carthag. 4. canon. 7.

55. & torquatur] Mendum cod. Remboldi quo legebatur; vt, remansit in cod. Erasmi. Rocte etiam ex Ms. legunt Manus. & Morel. Deo dicatur.

56. Nam si scoppii & serpentes etiam præualere possunt, &c. possunt & spiritus] Sic Ms. Affig. Blandin Marchin & Dun. maiori cum emphasi, quam excusit. Nam licet & præualere non possunt, &c. sic & spiritus, &c. non possunt, quare & magis placet prior lectio.

57. Nisi si iustum quibusdam videtur] Quum hæc iustum peruenit ad primam questionem initio epistolæ tractatam; certo colligitur, eam esse & non plures epistolas.

58. Clinici vel Peripatetici] Alludit in Etymologiam veterisque nominis. Quemadmodum enim Clinici à κλινῆς id est, lecto, sic Peripatetici à περιπατεῖν id est, à deambulando dicti sunt.

59. Nemini præscribentes] Eadem habet verba epistolæ ad Stephanum & ad Lubanum.

EPISTOLÆ IN EXSILIO CONSCRI-

PTÆ ET SVB FINEM
VITÆ.

AD NEMESIANVM ET CÆTEROS

martyras in metallo con-

stitutos.

EPISTOLA LXXVII.

ARG. Miris præconiis effert martyres ad metallum damnatos, singulis tormentis singula solatia pulchra antithesi opponens. In exsilio autem scriptam colligere est, ex illis verbis: nisi me ob confessionem nominis relegatum præfiniti termini arce-

CYPRIANVS NEMESIANO & FELICI, Lucio, alteri Felici, Litteo Poliano, Victori, Iaderi, Datio, Coëpiscopis, item compresbyteris & Diaconibus & cæteris fratribus in metallo constitutis, martyribus Dei Patris omnipotentis & Iesu Christi Domini, & Dei conseruatoris nostri, æternam Salutem.

Lib. 3. ep. 25. Gloria quidem vestra poscebat beatissimi ac dilectissimi fratres, vt ad conspectum atque ad complexum vestrum venire cupere deberet, nisi me quoque ob confessionem nominis relegatum præfiniti loci termini coercerent: sed quo modo possum & represento me vobis, & ad vos etiam corpore & gressu venire non datur, dilectione tamen & spiritu venio, exprimens litteris animum meum, quo in istis virtutibus & laudibus vestris letus exulto; participem me computans vobis, et si non passione corporis, consortio charitatis. An ego possum tacere & vocem meam silentio premere, cū de charissimis meis tam multa & gloriosa cognoscam, quibus vos diuina dignatio honorauit: vt ex vobis pars iam martyrij sui consummatione præcesserit, meritorum suorum coronam de Domino receptura; pars adhuc in carcerem claustris, siue in metallis & vinculis demoretur, exhibens per ipsas suppliciorum moras corroborandis fratribus & armandis maiora documenta; ad meritorum titulos ampliores tormentorum tarditate proficiens,

habitura tot mercedes in cælestibus præmijs, quot nūc dies numerantur in penis: Quæ quidem vobis, fortissimi ac beatissimi fratres, pro merito religionis ac fidei vestræ accidisse non miror, vt vos sic Dominus ad gloriarum sublime fastigiū clarificationis sue honore prouererit; qui semper in Ecclesia eius custodito fidei tenore vigistis, cōseruantes firmiter dominica mādātā; in simplicitate innocentiam, in charitate concordiam, modestiam in humilitate, diligentiam in administratione, vigilantiam in adiuuandis laborantibus, misericordiam in fouendis pauperibus, in defendenda veritate cōstantiam, in disciplina seueritate censuram. 7 Ac ne aliquid ad exemplum bonorum factorum deesset in vobis, etiam nūc in cōfessione vocis & passionis corporis, fratrum merces à diuina martyria prouocatis, 8 duces vos exhibendo virtutis; vt dum grex pastores suos sequitur, & quod fieri à præpositis cernit, imitatur, paribus obsequiorū meritis à Domino coronetur. Quod autem fustibus cæli prius grauiter & afflicti, per eiusmodi pœnas initialis cōfessionis vestræ religio primordia; execranda nobis istares non est. Neque enim ad fustes Christianū corpus expauit, cuius est spes omnis in ligno. Sacramentum salutis suæ Christi seruus agnouit, redemptus ligno ad vitam æternam, 9 ligno prouectus est ad coronam. Quid vero mirum, si vala aurea & argentea in metallum, id est, auri & argenti domicilium dati estis, nisi quod nunc metallorum natura conuersa est, locaque quæ aurum & argentum dare ante confueuerant, accipere cœperunt: Imposuerunt quoque compedes pedibus vestris, & membra felicia ac Dei templi infamibus vinculis ligauerunt; quasi cum corpore ligetur & spiritus, aut aurum vestrum ferri cōtagione maculetur. Dicitis Deo hominibus & fidem suam religioſa virtute restantibus, ornamenta sunt ista, non vincula; nec Christianorum pedes ad infamiam copulant, sed clarificant ad coronam. O pedes feliciter vincti, qui nō à fabro, 12 sed à Domino resoluuntur! O pedes feliciter vincti, qui itinere salutari ad paradysum diriguntur! O pedes in læculo ad præfens ligati, vt sint semper apud Dominum liberi! O pedes 13 compedibus & trauerlatijs interim 14 cunctabundi, sed celeriter ad Christum glorioso itinere cursuri! Quātum vult hic velinouda crudelitas, vel maligna, nexibus vos suis & vinculis teneat; cito à terris & penis istis ad cælorum regna venietis. Non fouetur in metallis, lecto & culcitris corp⁹, sed refrigerio & solatio Christi fouetur. Humi iacet fessalaboribus viscera; sed pœna non est cum Christo iacere. Squalēt sine balneis membra situ & sorde deformia, sed spiritaliter intus abluunt, quod foris carnaliter fordidatur. Panis illic exiguus. At non in solo pane viuus homo, sed in iermone Dei. Vestis algentibus deest; Sed qui Christum induit, & vestitus abundanter & cultus est. 15 Semitonij capitis capillus horrescit, sed cum sit caput viri Christi, qualecunque illud caput deceat necesse est, quod ob Domini nomen insigne est. Omnis ista deformitas 16 detestabilis & tetra gentilibus, quali splendore pensabitur? Sæcularis hæc & brevis pœna, quam clari & æterni honoris mercede mutabitur, cum secundum beati Apostoli vocem, transformauerit Dominus corpus humilitatis nostræ conformatum corpori claritatis suæ: Sed nec in illo fratres dilectissimi, aliqua potest aut religionis, aut fidei iactura sentiri, 17 quod illic nunc faceret otibus Dei facultas non datur offerendi & celebrandi sacrificia diuina. Celebratis immo atque offertis sacrificium Deo & pretiosum pariter & gloriosum, & plurimum vobis ad retributionem præmiorum cælestium profuturum, cum scriptura diuina loquatur & dicat: Sacrificium Deo spiritus contribulatus, cor contritum & humilitatum Deus non despicit. Hoc vos sacrificium DEO offertis, hoc sacrificium sine intermissione die ac nocte celebratis, 18 hostiæ facti DEO & vosmetipsos sanctas atque immaculatas victimas exhibentes, sicut apostolus adhortatur & dicit: Oro ergo vos fratres per misericordiam Dei, vt constitutis corpora vestra hostiam viuam, sanctam, placem in Deo, nec configuremini sæculo huic, 19 sed

transfor

1. Tim. 2.

Dmt. 8.
Luc. 4.

1. Cor. 11.

Phil. 3.

Psalm. 50.

Rom. 12.